

minibus ; blasphemia autem in spiritum sanctum non remittetur hominibus. Loquitur hic Euangelista vel de remissione actuali, vel de potenciali; non de actuali, nam non actu omnia peccata, praeter illud, quod in spiritum sanctum admittitur, remittuntur, ergo de potenciali; ergo priorum verborum sensus hic erit: Omnia peccata hominibus remitti possunt. Vi oppositorum, verborum immediate subsequen- tium hic euadet sensus: blasphemia, seu pecca- tum in spiritum sanctum non potest remitti, illud natura sua est irremissibile, vt solide hac ratione haec verba interpretatur B. MVSÆVS in *Diss. de peccato in spiritum sanctum* §. X. p. 7. Cum hocce peccatum omnibus reliquis opponatur, sequitur, vt non nisi vni- cum sit; cum illud vnice natura sua irremissibile dica- tur, sequitur, vt in omnibus scripturae sacrae locis, vbi peccatum irremissibile commemoratur, de peccato in spiritum sanctum sit sermo, ergo praeter Matthaei locum citatum eiusque parallelas *Marc. III. 28. 29, Luc. XII. 10.* de eodem peccato explicanda sunt, quae exstant *Ebr. X. 26. 29.* Haec vbi probata dedi, in subsequentibus verba paullina ex hisce parallelis tuto illustrare poterō. Equidem strenue negat *Epi- stolae ad B. DANZIVM de peccato in spiritum sanctum, et de descensu Christi ad inferos auctor, quem S. R. ZELTNERVM* esse publica fert fama, quod in loco nostro paulli- no de peccato in spiritum sanctum sit sermo, nil, inquit ille p. 17. hoc de peccato hic deprehensum ar- bitror; nisi et Nasonem de eodem cecinisse, verbis:

*Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis*

*Fluminea tolli posse putatis aqua!*

per-